

AD SIT FAVOR JEHOVÆ!

De

MEO ET TUO

PLATONICO

DISSERTATIO POLITICA,

Quam

DEVINA FAVENTE CLEMENTIA, SUFFRAGANTE ORDINE PHILOSOPHICO AMPLISSIMO IN CELEBERRIMA ABOENSUM ACADEMIA;

SUB PRÆSIDIO

PRÆ-CLARISSIMI VIRI

M. PETRI HAHN,

Phys. Prof. Ordin. celeberrimi, Mecænatis, Præceptoris & Promotoris gratissima memoria æternum colendi:

PRO GRADU MAGISTERII,

Eiusque privilegiis consequendis publice candidæ Philosophæ disquisitione modeste submittit

PETRUS LINSTORPHIUS, Stip. Reg. Wexionia Smolandus.

Ad diem, si DEO videbitur 25 Junii, Anni M.DC.LXXXIX.
in Auditorio Maximo horis ab 8 antemeridianis.

A B O Æ,

Impr. apud JOHANNEM LAURENTII WALLIUM,
Regiae Univ. Typogr.

Vir Magne Dei
Splendidissimumq; Ecclesiarum Lumen,
Doctrinæ Gloria, Eruditionis Laude
Meritorum Numero Eminentissime,
Dn. Mag. SAMUEL WIRÆNI,
Qui REGI NOSTRO CLEMENTISSIMO
Sacra hactenus aperuisti dogmata, cœlestes monstrasti vias;

Nunc vero,
Jubente cœlesti favore,
Mandante Regia & summa Potestate
Applaudente tota in Terris Ecclesia Lutherana,
WEXIONENSIS DIOECESOS ANTISTES, PRÆSUL ET EPISCOPUS,
Mecœnas Magne:

Felix dies, felix hora,
Qua divina bonitas *T. Amplitud:* tam excelso admovit muneri,
Qua & Mihi (Quod spero & opto) optimū constituit Patronum.
Proinde Camœnas meas egenas
Per difficultia satis & durissimos paupertatis labores demum e-
luctantes,

Paterne respice atq; benigne,
Earum exiguat heic monstro stricturam,
Qvam Magno Tuo Nominis non veritus sum dicare;

Etenim,
Tuis, Mecœnas Optime, parere constitui jussis,
Tuam implorare gestio opem,

Tibi honorem debo & submissionem,
Tua pro incolumitate indesinenter orabo,
semperque, dum inter mortales sum, inveniar

Reverendissimi Tui Nominis

humilimus cultor
PETRUS LINSTORPHIUS.

Supra laudem moderni seculi,
supra invidiam malevolorum,
Per orbem decantatissima Ecclesiarum Dei variarum,
PASTORES fidelissimi,
splendida sidera,

ARCHIPRÆPOSITE Amplissime,
M· ENEVALDE WIDBECCHI,

Meccenas Propensissime:
Sacrarumq; Pandectarum in Gymnasio Wexionensi Regio

SACRI INTERPRETES,
sinceri VATES atq; MYSTÆ,
Magistri, JOHANNES & ERLANDE
COLLIANDRI,

inq; sacro Consistorio
ADSESSORES pariter OMNES gravissimi,
judices justissimi,

Literarum & literatorum optimi patroni,
PROMOTORES certissimi:

Quem
ante quinquennium bonâ veniâ dimisisti
discipulum,
monita & præcepta, imò & vestigia vestra ad fata
sequi conantem,
Vobiscq; infinito obstrictum ære,
& ideo, dum vivit, gratissimum,
candido & benigno nunc recipite pectore.

Disputationem, quam offert tenuissimam,
Gratissimi testem animi,
placide se insinuantem
placida excipite manu,
eandem humili offerentem animo
commendatissimum habete Clientem,
semperq; in Terris optime Valete.
inq; cœlorum, post fata, Palatio,
In cœtu Angelorum
ovantes Triumphate.
Quin & vos,

Variarum in sana Philosophia,
in florida Sapientia partium

LECTORES SOLERTISSIMI,
ADJUNCTI INDEFESSI,

Evergetæ honoratissimi,
Favatores benevolentissimi,
Levidensem Musarum opellam,
Sincere & grati tesseram animi,
Favorabili subjicite conspectui,
Benevola perlegite censura.
Vivite omnes sospites, vivite salvi,
In Christi, Patriæ, Literarum,
Vestrum & vestrorum,
Gloriam amplam,
Commodum ingens,
Gaudium perpetuum,
Vestroque ad officia pariter ac studia
semper paratissimo dextere favete.

PETRO LINSTORPHIO.

Ad Virum peregrinum,

Eruditione & Virtute prestantissimum,

DN. PETRUM LINSTORPHIUM, Wexoniæ Smolandum,
Philosophiz senioris Candidatum, pro honoribus Magisterii Philosophici de MEO
& TUO perdocte & solerter differentem, silva Gratulatoria.

Ic vita est hominum, sunt hæc molimina rerum.

Mentibus humanis, certam sibi querere metam

Incepi cursus dubii, per vasta laborum,

Per varios casus, per tot luctamina mundi;

Fluctuet ut primum vaga sors, inimicaque cæptis.

Navita non aliter jactatus turbine venti,

Post densos imbræ varios, savasque procellas,

Prospectat possum, quem tangit denique anhelus.

Sic messor guavus curarum præpete fructu

Gaudet, lætitia tunc tandem cordis oborta,

Præmia cum spectat fusi sudoris amari,

Fæcundas menses, & magnos farris acervos,

Et Cereris largam vim plenis undique cellis.

His non absimilis, LINSTORPHI, gnave satelles

Musorum, exsistis, vario discrimine rerum.

Luctatus, vita nec semper fortibus æquis,

Inque Scholâ primùm, tum Gymnasioq; celebri

Wexonie, quin Auræicis his postea Athenis.

Spe fultus pergis certâ, que fallere nescit,

Figitur in summum quoniam, velut anchora, Numen;

Frigora non terrent, non assiduius labores,

Non maria & venti, spatha haud longinquæ locorum,

Nec remora in eundis humanis rebus egestas.

Ardore hæc vincis, velut invictissimus alter

Alcides per facta cluens duodenaque monstra.

Macte piis aulis Phœbi inclarescere campo;

Ibis Apollineis redimitus tempora fertis,

Patria te tandem Civem reducemque videbit,

Teq; Schola hinc Moderatorem laudabit amanum;

Pastorem extolleque pium Te Ecclesia Christi;

Imò posteritas cantabit grata perennes

Laudes, cum cœlo Te tandem joya redonet,

Angelicae ut superum fias novus incola sedis!

Scriptit L. Mq;

PETRUS LAURBECHIUS.

S. S. Theol. Licent. & Prof. Ord.

PerEximie Dn. Candidate LINSTORPHI

Filiorum meorum hactenus Praeceptor fidelissime, Fautor & Amico
dilecte, SALVE!



Memorabilis est locus Isocratis ad Nicoclem:
τὸς ιδιωτας πολὺ τὸν περιεργόντα μάλιστα τῷ μη
τελέσθαι, ἀλλ' ἀναγκαῖον τοῦτο τὸ βίον καὶ εἰάσνυ
αγωνίζεσθαι τὴν πύρην. Nam quamvis mortali-
um plurimi divitias ament omniumq; rerum
affluentiam, ut possint ex animi sententia vivere genioq; in-
dulgere suo, plus tamem vitæ mortalium & præcipue adoles-
centiæ prodest paupertas. Scilicet hæc omnes perdocet ar-
tes & multa experiri jubet adolescentem, econtra opes ad
otia invitant, hæc vero ad vitia; quare ad Demonicum ita scri-
bit idem Rhetor: πλῆτος κακοῖς μάλιστα, ἡ παλαιοχαρακτήρας ἡ πρώτη.
Τοῦτο δὲ τὸν παραπομπαῖς προσκενεῖται, οὐδὲ τὰς ιδιοτάτας τοῦ
νεούς προσκενεῖται. Paupertas autem facit ut tempus otio desit,
atque à libidinibus arcet juventutem, quibus summo cum pe-
riculo illa ætas est obnoxia. Hinc est, quod plures pauperum
quam divitum filios emergere atq; ad honores evehi cerna-
mus. Probas hoc Pereximie Dn. CANDIDATE Tuo exemplo.
Namq; inde à teneris cum paupertate luctatus es, & de parando
quotidiano vietu quasi dimicare necessum habuisti. Hæc ta-
men fortunæ adversitas incitamentum Tibi fuerat ad virtu-
tem & studia, quæ ista sedulitate & diligentia, in Regia hac
Academia per annos quatvor & quod excedit, ex quo filiorum
meorum suscepisti informationem, sectatus es, ut honores
in Philosophia summos jam jure meritoque ambire possis,
sed illos magis sponte Tibi offert Pallas, quam ut Tu eos ambias.
Ita jam & faustis avibus honores hos Magisterii sus-
cipe, qvos, si verus sum augur, brevi majores ex mu-
nere publico subseqventur. Vale!

Aboe 14.^{to} Cal. Julii,
1689.

ERICUS FALANDER,
Reg. Jud. Assessor.



INTROITUS AD LECTOREM BENEVOLUM.

Quam luctuosus fuit Protoplastorum lapsus, tam funesta eum inseguuta est pena. Scilicet concretam amavit sapientiam miser homo, scientiam, quam habuit exadissimam perdidit, hinc in erroru Labyrinthos cæco fertur duci, cæca ratione, hinc in diversissima quisque sententiarum abivit divertis, hinc tot litigia, tot rixæ, tot dissertationes contrarie, quot vel sternendis pontibus vel implendo Oceano sufficerent. Antiquorum dogmata recentior correxit ætas, dies diem docuit. Quot, quæso, his, in qua nos reservare voluit Deus, temporibus, surgunt Hæretici, clarum Dei verbum decempeda rationis metiti conantes, & quod hac normâ mensurari potest excipiunt, reliquum, ut fallax (proh nefas) reiiciunt, ut innumera taceam Philosophorum Systemata, in quæ infinitæ μεταβάσεις ex una in aliam disciplinam inveniuntur, donec demum indigestum ex distinctissimis conficitur chaos, cum tamen suos quæque habeat limites, suas leges, velut benè constituta in terris respublica. Quos disciplinarum limites tempore suo Aristoteles post, analyt. lib. 1. c. 7. & 9. fusis posuit verbis, hos etiam D. Jacobus Martini, hos B. D. Calovius non tantum observarunt; verum ut omnes sani Theologi & Philosophi defensarunt. Leges Philosophandi adcuratissimas Senatus Populusq; Literarius olim servavit, quas violare capitale fuisset in regno philosophico, verum, quotusquisq; desultoriam heic non ingreditur viam, sc nunc Mathematica cum Physicis, Physica cum Medicinalibus, Philosophiam practicam cum J. Prudentia & quid non miscet & confundit, tanquam in regno philosophico & superioribus facultatibus nec *Meum*, nec *Tuum*, nec lex, nec limes foret attendendus. Heu execrandum Diaboli stratagema! quo, de republ. literaria citò nimis actum esse cupit & pertinet. Sic dixi, misere corrupta est mens humana. Ast quid de bonitate, in qua steterat homo, qua miserè dejectus erat, dicendum? malum est omne cogitatum, dicente scriptura, in òris

Bitu delectatur puer, antequam seit pittia esse, dicit Fabius, & afflitti mo-
res in deteriora labuntur sepiissime. Hinc negata cupimus bonumq; re-
linquimus quotidie. En cogita o homo pluribus, quid heic amisisti.
Vixit Adamus totius terræ dominus, in fragrantissimo horto, in delic-
tissimo convivio ei omnia subjecta serviebant animantia, donec peccato
iram in se protractisset Dei, quæ omnibus, quibus utebatur, fruebaturq;
eum spoliavit bonis, amoenissimoq; expulit horto, omnibus Elysias cam-
pis, quos finxere Poëtæ, jucundiore. Sic gaudium Paradisiacum in fu-
nebris & Tragicum transmutatum est mæstorem, hinc (quod & in sta-
tu primævo, majore cum felicitate obtinuisse) dominum in creaturas,
in terras, ob statuendas familias, erigenda dominis, ad tollendas in terris
rixas necessariò erat introducendum, quò succrelente humano genere
suum quisq; cuique tribueret, meumq; & tuum lavaviter inter mortales
audiretur. Hac de re bonorum, diversas cum legerim sententias practi-
cum movere decrevi discursum; quo contra illud Platonis l. 5, de legibus
ubi dicit: ea demum felix est Rœsp. ubi meum & tuum non audiatur, ta-
lem communionem bonorum nec extitisse quondam, nec existere posse de-
monstrabo. Ingens fateor hac de materia concinnari posset volumen,
ob rerum, quas includit copiam, Adversariorumq; multitudinem, verum
enim verò, quod breves Tibi Lector E. offero paginas, sinistre non ex-
ceptum iri spero, cum multa cumulare facultatum mearum non sivit
ratio, nec quæ aliena sunt, ceu juridica immiscere volui, nec te benevo-
le Lector, gravibus fortiè districtum negotiis dum detinere. Adhac libro-
rum penuria remoram mihi in hoc argomento satis intricato ventilan-
do injectit haud exiguum, deniq; etiam officii in promovendis discipulo-
rum, queis curam debeo commodis, ratio, prolixas curas inhibuit, quæ
si pensitaveris, nullus de tua benevole L. humanitate, deq; Tuâ benevo-
lentiâ dubito. Deo quoq; & bonis placere unicus mihi scopus. Si itaq; bonus
es, tibi procul dubio satisfeci, malis placere nec volo, nec possum. Quod per
receptionem in disputationibus methodum ἀρματολογίαν scilicet & περι-
ματολογίαν argumentum hocce non explicuerim, thematis, ut videbis,
mihi injunxit habiendo, hinc nullus ambigo, quin me ab ambitioso ex-
solvas novandi pruritu. Interea divino submissus clypeo, Vale & tem-
benè gere! Antequam pedem longius promoves, cœlestes mecum invo-
casuppetias: Adsit favor Jehovæ &c.

CAPUT PRIMUM,

In statu innocentiae (ut à primis ordinar rerum natalibus) quâ ratione se habuerit dominium seu proprietas declarabit.

Dominium quatenus vel libertati in agendo, vel imperio in personas ~~aneribas~~, contradistinguitur contra Bartholom, Laymannum & alios, rectius *habitudinem in rem propriam & subjectam*, quam jus vel facultatem dicendum existimamus. Et hoc quidem cum Joh. Adam. Osiandro pag. 700, in Grot. de Jur. Bel. & P. Et cum e jesus ortus vel sit *originarius vel derivatus*, hinc de priori in capite hocce paucis censemus delibandum. Qvantum & quam excellens in res singulas & universas Adamo Patri humani generis communi, in fragrantissimo Edenis horto contulit dominium divina benignitas atq; liberalitas, vel unicus *in eternis pueris. Propter* testari potest Moës, qui jussum & Assignationem Dei, verbis (VECHEBESCHYHA URDU subjicite eam & dominamini) clarissimis, Adamo concessam exprimit, unde *commune* ipsi datum dominium, cum talem repræsentaverit posterratatem, in quam jus hoc postea subnatis hominibus, derivandum erat. Eminens hoc Adami imaginem referentis Architecti dominium, & quidem commune in certas distribuendum familias, in certos ordines atq; gradus ordinationi divinæ & æternæ justitiae maxime videbatur congruum, ut sicut in cœlis *Archangeli, Throni, Principatum, Potestatum, dominatum* diversos superiores scil. & inferiores fecit gradus, Collos. 1. v.16. ut hominem, animal sibi charissimum, lingua & sermone condecoravit, ut illud etiam *natura* fecit πολιτικὸν, teste Arist.lib.1.pol. cap. 2. Ita benignissimus hic ordinis Deus, r̄s omnes in communem congregatas parentem dominio licet & qua *intensionem & extensionem* debiliore ob peccatum & luctuosum nostrum la-

psum in Adamo factum singulis posteris adscribere, partemq;
 determinare voluit justam, hinc appetitum dominandi omni-
 um inscripsit cordibus, omnium voluntati implantavit. Quo
 factum, ut inordinatum alias humanum genus in certas & de-
 terminatas abiret familias, ut universale de diligendo pro-
 ximo, de fugiendo furto & adulterio, de lectanda liberalitate &
 ceteris virtutibus Primis parentibus inscriptum jus, & æter-
 nitatis radii locum haberent, qui, tamen data communione,
 exclusoq;
 dominio in actum nunquam erupissent. Et hinc
privatum ortum est dominium, rixæq;
 & contentiones, scelera
 & facinora, quæ confusionem Mei & Tui inseqvuta fuissent,
 penitus sunt sublata. Quæ jurgia atq;
 scelera parens Adamus
 præsciens filios inter duos, Cainum scil. & Abelem terram
 distribuit, Gen. 4. 2. & seqq. imò in reparato mundo, post ~~καταλυτηριον~~
 universalem, Noachus idem Gen. 9. 26. 27 & c. 10. 32.
 v. fecisse legitur. Unde ortum sit illud antiquorum *jure naturæ*
omnia sunt communia, quod quam verum sit dogma intra in cap-
 tertio ob. 4. dicetur. Tantum jam dico: si communio juri na-
 turæ esset congrua utiq; dominium & proprietas esset con-
 traria, quod absurdissimum esse ex jam dictis dispalescit.
 Quam erroneam igitur muniat viam, Magnus ille Grotius,
 qui communionem & in statu instituto & reparato contra Hi-
 storiæ sacræ principia videtur statuere, cuivis facile patescat.
 Salvo tamen tanti viri honore, mentem meam Scrip. Sacrae
 & Theologorum saniorum sequens vestigia, aliquanto liberi-
 us explicavi.

CAPUT SECUNDUM.

Mei & Tui communionem seu ~~κοινωνιαν~~ nunquam post
 lapsum introduci potuisse, ostendet.

Cum hæc communio bonorum Platonica à multis introduci
 posse existimetur, illam paulo altius examinaturi sumus
 sen-

sententiam; dicimus itaq; eam. 1. *Repugnare Deo & juri divino.*
 Deo utpote, qui causa est efficiens propriæ possessionis, cuius
 nutu terra erat divisa, *juri divino & præceptis ferè omnibus*
 2. *tabule:* quanta n. quæso hinc amoris inter parentes & filios
 diminutio, neglectus liberorum, consanguinitatis & familia-
 rum, quot quæso cædes, rixæ & infinita inter homines prælia, si
 hæc foret introducenda? Pium refert certamen, aureum istud
 vs Chrysostomus in homil. 30. *Erat inquit, quodam in loco ab-
 conditus thesaurus, cumq; id loci dominus nesciret, alii locum venum-
 dedit, emptor cum foderet, ut in agrum mutaretur excoleteturq; repe-
 rit Thesaurum, convenit emptorem offertq; ipsi Thesaurum, locum n.
 se non thesaurum dicebat emisse, possessör respuit donum dicens, vendidi
 locum, nec ius in eum habeo amplius. Pium, inquam hoc erat cer-
 tamen. Ast quotusquisq; est, qui tantæ justitiae non præter-
 labitur calles, quis rixas heic non movisset? si jure suo cede-
 ret. Quanta, quæso in sextum præceptum decalogi introdu-
 xisset hæc sententia facinora, utpote quæ communionem u-
 xorium nefandam introduceret Anabaptistarum, quâ fœdus
 nihil, hinc horrendi incestus, adulteria infinita contra Sacram
 Scripturam expressumq; Dei mandatum haberentur, Gen. 2.14.
 Marci 10.7. de polygamia veterum argumenta, quæ vel ex S.
 pagina vel exemplis vel legibus antiquis, vel deniq; à natura
 depromi possunt *ov? nti? reservamus publicæ.* Præcepto
 quantum contravenit *septimo*, paucis vix dici potest, hinc n.
 rapinæ, scelera nefanda & discordiæ infinitæ. De *nono & deci-
 mo* taceam, quæ tot invehunt absurdæ, inferunt incommoda
 quot fundit *æq; por arena*. Ex his bellorum, duellorumq; & rixa-
 rum causas promanasse omnes facile dixerim.*

2. Ipsi adversatur *natura*. Ficinus, Rempublicam laudans Pla-
 tonis fac castigatur ab Arnisæo: *Omnis erunt fratres?* Ast vereor
 ne iidem & patres, eadem matres & sororii cap. 2. de famil. has
 nonnè veretur natura, imò ipsa ab hâc abhorrent bruta, Teste

Avicenna in Hist. animalium. Quin & dicit jus naturæ: suum cuique tribuito & rem nulli invito tollito, quod faciunt hi omnes, imo πολύτελοι dum officium, quod exigit matrimonium a conjugi abalienatur. Teste Wendlero in polit. pag. 266. & Paulo, qui i. Cor. 7. 4. virum sui potestatem non habere sed uxorem testatur.

3. Ipsa everteretur *justitia*, hæc si admitteretur, *cujus tanta est vis, ut ne uero quidem, qui scelere & maleficiis pascuntur, possint sine ulla justitia particula vivere*, dicente Tullio l. 2. off.

4. *Liberalitas* hic quoque, quæ Deo similes redunduntur homines, & virtutum excluderetur choro, & omnes cum ea *Eleemosyne*.

5. *Omnes contractus emptionis & venditionis, locationis & conditionis in nihilum abirent*, sine quibus vix genus humanum vivere posset, ubique n. omnia non profert omnis tellus, quæ ad victum & amictum necessaria sunt, hinc paratissima bellorum occasio, pluribus ad unum concurrentibus, exoriretur.

6. *Socordiam pareret maxime & ignorantie fratres, longè enim majori diligentia propria, quam communia parari, est in proclivi.*

7. De turbis in singulis statibus, *Politico, Ecclesiastico ac Oeconomico* ex hâc communione bonorum & officiorum prodeuntibus, fusius infra in quæstionibus. Nunc pergamus ad

CAPUT TERTIUM,

Quod tales turbulentam Remp. Platonicam nunquam in terris post lapsum fuisse demonstrabit, & quidem ἀπανεπωσικῶς præcipuorum adversariorum refutando argumenta, *Quorum primum hoc esto.*

Ob. 1. Quod si filius Dei, *cujus actio nostra erit institutio, cum hominibus conversatus communionem haberit bonorum, utique nos, verum prius*

prius E. post. Ad minorem breviter resp. 1. Dist. inter Ecclesi-
am *constituendam* & nunc *institutam* 2. inter *proprietatem seu posses-
sionem* & *usum*, hunc valuisse, illam vero etiam viguisse Exem-
pla Mariæ Marci Matris, cui propria erat domus Act. 12:12. &
Philippi ibid. 21. v. 8. item dictum ibid. c. 2. 46. ubi per sin-
gulas ædes comedisse scribuntur, evidenter testantur. 3. Inter
mandatum de tali communione & liberum institutum, illud ne-
gando, hoc asseverando, deniqꝫ 4. ab usu possessionum Aposto-
lico & Christi, ad communionem Platonicam, ubi & rerum
& uxorum approbatur communio, blasphema & impia con-
sequentia.

Ob. 2. *Quod jussit Deus, serio est tenendum, at communionem.*
Deut. 15. 4. E. Verum quanquam is locus à multis heic alle-
getur, non tamen *communionem* sed *usum* inferre videtur, imò
*charitatem & dilectionem omnibus injungit egenis præstan-
dam*, undè *petitio principij*. Hinc, *jus* quod vocant *revidiscentia*
cadere quilibet videt.

Ob. 3. *Confitemur in simbolo communionem bonorum.* Resp. spiri-
tualium, non corporalium.

Ob. 4. *Quod vir iste famigeratissimus & Magnus Grotius in l. 2.
c. 2. afferuit, illud procul dubio est statum inandum, at communionem*
verum juri nature consentire. E. Verum quanquam minor sim,
quam ut de tanti viri auctoritate judicem, vix tamen hoc in
loco sibi constare posse arbitror, itaqꝫ Resp. 1. *Ab absurdō*, si
communio conveniret I. N. utiqꝫ proprietas esset contraria.
2. Antiquum illud *omnia debent esse communia* non ex sacris pan-
dectis, sed vel ex cerebellis Scholasticorum, velex minus pro-
bata justiniani definitione juris ortum est, qua brutis æqꝫ ac
hominibus tribuitur jus, quo tensu, ut non rationem ita nec divi-
sionē rerum & dominiorū brutis tribuendā esse existimamus.
Hinc nemini invisum tote spero fil. A. Osiandri repeto verba pag.

664. nec omnibus placent, qua grata fuere Grotio, fuit enim homo, cui facile erat cæspitare.

Ob. 5. At si veterum replicemus monumenta, multa reperiemus loca, ubi introducta erat communio bonorum, utpote 1. Americanorum s. E. Sed Resp. 1. largior communitatem ibi fuisse majorem, quam heic apud nos, non verò omnimodam rerum, multò minus Platonicam, ubi rerum & uxorum communio statuitur extitisse. 2. Ab Americanis ad morē brutorum viventibus ad bene constitutam remp. vacillans est argumentatio.

Ob. 6. 2. *Essorum, qui omnia habebant communia, idem testatur exemplum.* L. Osiander. in Hist. Univers. Resp. eadem hic 1. occurrat responsio, quam dedi modo 2. dicimus quid jure faciendum potius, quam quid de factō fiat, respiciendum, *quiq. enim non sua, sed aliena querat*, monet Apostolus Phil. 2. 4. Exemplis non vivendum puto, sed regulis. *Sororem Amestrim duxit Artaxerxes*, Plut. in Artax. *Sororem Codomannus Just. l. 2. Claud. Imperator filiam Agrippinam* Sveton. in Claud. *quiq. legem tulit haec nuptias esse licitas*, Tacit. l. 1. Annal. Ast quam graves tam horrenda facinora sequi solent pœnæ, juxta minas Dei Lev. 18. Semiramis à filio interficitur Just. l. 1. Jacob Ruben exsecratur Gen. 49. 4. *Absalon de queru peperdit*. 2. Reg. 18. 9. imò vix ullum tam nefandum facinus suam non conseqvutum est pœnam. Quis hæc imitari vult exempla?

Ob. 7. Talem tamen Remp. Platonicam introduxit Plotinum circa Neapolim Campanie, scribit Porphyrius sed Resp. petiti quidem, testantur multi, Plotinus ab Imperatore Galieno veniam talem excitandi Remp. verum voto excidit & petito, non quidem ex invidia, sed quod aulici hanc naturæ repugnare, hanc in imaginatione non in re ipsa consistere viderent, unde adhuc oppositio hæc petit principium, & probationem ultiorem. Siç etiam Thomas Morus Utopiæ, Th. Campanella in civitatem, quæ Solis appellabatur, conatu magis quam effetu

Etu introducere laborarunt hanc Platonis rémp. nimirum, quia facilius perfecti homines finguntur, quam habentur, scribit Nobiliss. Pufendorff. pag. 537.

Ob. 8. Aureum hanc communionem testatur seculum. Et enim de eo sic Virg. l. 2. Georg:

*Ante juveni nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem aut partiri limite campum,
fæc erat, in medium quærebant, ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.*

Item

Justinus l. 43. c. 1. Rex Aborigineum Saturnus tante fuisse dicitur justitia, ut nec servierit sub eo quisquam, nec quidquam private rei bauerit, sed omnia communia & indivisa omnibus erant, velut unum omnibus fuisse patrimonium. Sed resp. Vana ista de aureis seculis somnia, plus in se non habent veri, quam quod scripsit Pherecrates :

*Turdi volabant ora circum, qui benè conditi erant,
Cochisque mire supplices edi rogabant.*

ratio hæc est. Barbarorum & Rusticorum otio amica erant ingenia, ac à labore aversa, postmodum verò per legislatorum jussa ad laborem adacta, præterita laudare æcta, odisse præsentia & per insolentiam laborem impositum ægre tulisse, hinc ut senes puerilia sua æcta laudant, præsentia aspernantur, vetera extollunt; ita hi Barbari, quanto incultiores & simpliciores, qua vitam erant prius, tanto minori opus erat labore, quanto splendidiorem vitæ affectarunt apparatum, tanto majorem ipsis fuisse laborem. *Aborigines* quod concernit, genus fuit agreste simplex & incultum sine legibus sine imperio librum atq; solutum, ut de iis loquitur fallust. in bell. Catel. hinc cum nullis positivis obligabantur legibus, à poena erant immunes & instar brutorum glandibus & fructibus inconditi ac agminatim vescebantur, undè ab illis ad remp. aliquam in-

troducendam infirma est consequentia. Ubi n. apud hos pie-
tas, ubi justitia reip. fulcrum? audiamus Cic.l. i. Off. justitiae pri-
mū munus est, ut quis communibus utatur pro communibus, privatis pro
privatis, sunt a. privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, ut qui
quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege,
pactione, conditione, sorte, ex quo fit, ut ager Arpinas, Arpinatum, Tu-
sculanus, Tusulanorum apparetur: Similisq; est privatarum possessionum
descriptio, ex quo, quia cuiusq; suum sit eorum, que natura fuerant com-
munia, quod cuiq; obtigit, id quisq; teneat, eo si quis sibi plus adpetet,
violabit jus humanae societatis. hinc unde dominium & proprietas, &
quod inter Aborigines locum non habuit, videre possumus.

His capita ii. & iii. eo conclusum, dicendo communionem
bonorum post lapsum nec institutam esse nec institui posse, ve-
rum ut leges optimae sunt, teste Solone apud Plutarchum, quas
accipere possunt cives; ita non pro lubitu principis sed pro
capacitate civium resp. est introducenda.

QUEST. I.

Qua statum Politicum.

*Queritur, an satius foret uni totum subiectum esse mundum, an cer-
cum Meij & Tui discrimen. Aff. post.*

Affirmativam prioris Tacit l. i. Annal. c. 6. probare videtur,
ubi dicit ea est conditio imperandi, ut non aliter constet, quam suo-
ni reddatur, cui pollicem premit Cic l. i. off. c. 4. verum q.
his in locis non universalis & mundi totius, sed reip. certis locis
& terminis circumscriptæ dominium stabilitur, quia i. Regnum
folius Dei est universale Ps.72. 7. 8. Dan.2.44. 2. Locorum hoc u-
niversale jus prohibet distantia, undè ut ad unum transferri
possit, fieri non potest. 3. Cum sapientia Dei non convenit uni o-
mnia conferre, sed omnia in pondere, mensura & numero, non
modo in rebus aliis; sed etiam in moralibus & civilibus Sap.
ii. 22. 4. Ab inaudito, nullus n. unquam toti imperitavit orbi.
Nam per *imperium*, cui censum imposuit Augustus Luc. 2. non
totus

totus terræ tractus intelligitur, sed vel pars Synechdochice, ut
 vult Maldonatus, vel imperium Romanum, ut interpretatur
 Syrus, cum nec Persis, nec Indis, nec orienti ultra Euphra-
 tem, ubi semper Romani infelices fuere, dominatus fuerit.
 Vel loquitur hic Sp. S. ad fastum indigitandum Romano-
 rum, uti Cæsares, Constantinus, Antoninus, Justinianus, Fride-
 ricus primus, se *xvpiς τύ κόσμος* appellarunt, conf. Joh. Adam
 Ol. pag. 1221. 4. Universale hoc imperium genius respuit po-
 pulorum, ad quem maximè etiam principi respiciendum, an
 nim. heriliter an serviliter regi velit, utpote dominatum Asia-
 tici, Europæi verò non, ferre possunt, undè ad tam varia re-
 genda capira, ad tantam sustinendam molem unus satis esle a-
 ptus non potest. E re itaq; fuit, ut certi ponerentur limites,
 qui Meum illud & Tuum discernerent, sed quam difficultèr
 hoc fiat, omnium temporum testantur monumenta, hinc hor-
 rendæ clades, sæva bella, qvorum incendiū nunc etiam, proh do-
 lor, ignes latius trahit & cuncta corripere videtur. Scania
 Tibi dulcissima Svecia testis erit luculentissima. Quot homi-
 num ibi cecidere millia, quot viduas, quot orphanos fecit illa
 provincia, nunc regibus Sveciæ, nunc Danorum subiecta,
 donec nunc, quod optamus & speramus, immota sub imperio
 clementissimi nostri Regis conquiescat.

Sic redit ad dominum, quod fuit ante, suum.

QUÆST. II.

In statu Ecclesiastico quæritur,

i. An inter imperantes & parentes necessarium sit Mei & Tui discri-
 ment⁹ Aff.

Notandum heic statum Ecclesiasticum contra Concil. Con-
 stantiense & Tridentinum summæ potestati omnino esse sub-
 jectum, juxta illud Pauli Rom. 13. quo posito, principem Eccle-
 siasticum esse non posse asserimus. Loquor autem hic de in-
 terna Ecclesiastici actione, verum quod Ægyptiorum reges fuere

sacerdotes, Plut. Numa multe Roma obivit sacra, Liv. I. i. c. 20. Rex Nemorensis sacerdotio multos potitus est annos Sveton. in vita Calig. c. 35. id non jure sed facto contigisse arbitror. Unde temeritati pœnas dedit Israelitarum Rex Usia 2. paral. c. 26. 17. ad fin.

2. An inter verbi ministros vox hæc locum mereatur, seu an liceat verbi ministro politicum administrare munus. Neg.

Multi, proh nefas, dictum illud Funcii: *Dic̄e meo Exemplō mandato munere fungi, & fuge eū pestem τὴν πολυπεριγμούντην*, nil pensi habentes, plurimos lucri faciendi causa exponunt hamos, plurimis nulla fontica de causa se immiscent negotiis, nunc rabulam agunt forensem, nunc sacrum Evangelii Myſtam, nunc in Curiâ & Dicasterio, nunc in sacrâ inveniuntur Cathedrâ, nunc digesta, nunc sacras volvunt paginas. Ast non bene! ingemiscit Ecclesia, negliguntur animæ, quarum cura his incumbit. Verum *opponi posset*, illos in conventibus Præsidum Territorialium, in comitiis, in conscribendis militibus adhiberi, sed *Resp.* longe alia est ratio. Membra, dixi modo, sunt imperii potestati subjecta unde etiam curam partiae negligere non debent sicut nec ceteri cives. *Opponi potest & factum Gloriosissimæ memoriæ Gustavi Primi*, qui primum Johannem Gothum Præsulem Ubsalensem ad conventum Lubecæ cum Friderico Rege Daniæ & Vandalicis civitatibus ex pacto Malmogiensi celebrandum p. 253 2. Svenonem Episcopum Scarensem in Daniam p. 291. 3. Laurent: Petri ArchiEpiscopum Ubs. Michælem Agricolam Episcopum Aboensem in Russiam ad pacem instaurandam ablegavit, p.m. 361. Locc. in hist. Sueo-goth. in Gust. I. verum *Resp.* nulla hic vis argumenti: priori resolutione adhibita in sumum abit & nihilum, utut enim ad lucrandas Deo animas, ad coelestem implendam Remp. sacrum Ministerium sit primariò ordinatum, secundariò tamen ad societatem inter homines ineundam id constitutum esse dico. Unde Regis ad mandatum patriæ onera & commoda intueri te.

ri tenentur. Ergo dicas, *arma pro patria corripere licet minister?*
 Verum hoc nisi *summā necessitate* non admittendum. Etenim
 gladium gerere & limites tueri Patriæ politico reservandum
 Magistratui & armatis. Dixi *non nisi in summa necessitate*. Ab-
 sente enim exercitu, urgente vero hoste, nil video, quod
 impedit, quo minus subditos armare possit minister, quod in
 Smolandia ad fines Scaniæ furente proximè bellonâ multis in
 locis factitatum audivimus. Unusquisq; enim pro salute pa-
 triæ laborare & honestâ ratione se contra hostem defendere
 tenetur. Hic valet illud Ciceronis I. i. off. *qui non defendit vel ob-
 festit cum possit, tam est in vito, quam qui parentes, patriam aut socios
 deserit.*

QUEST. 3.

Quid de Canone: Omne bonum est communicativum sui? dicendum.

Resp. Is communionem Platonicam non stabilit. Etenim 1.
 quædam κατὰ ἀλογόνου realiter & effectivè; quædam κατὰ πε-
 ρικάρτιν aliud permeando subjectum; quædam κατὰ μίδιξην essen-
 tiā communicando, alia κατὰ μεταφορā & intentionaliter; quæ-
 dam deniq; κατὰ μετάσον participant. 2. requiritur in aëre
 in subjecto, cui aliquid communicabitur, hinc subjectum cano-
 nis limitate ponendum, omne bonum (*κοινωνίας*) est sui diffusivū,
 videndum enim ne vel honestatis limites transfiliantur, vel quæ
 receptivum recipere potest. 3. Addo hic, quod quædam ad
 usum non vero possessionem communicantur. Quæritur i-
 taq; jam his positis, *que res sub communionem veniant?* Resp. vel
 quæ sunt (a) Φύσι ταλε, huc pertinet illud Petromii. *Quid non
 commune est, quod natura optimum fecit? sol omnibus lucet, luna in-
 numerabilibus comitata fideribus etiam feras ducit ad pabulum, quid
 aquis dico formosius, in publico tamen manent, unde veneno fontes
 inficientes gentium violant jura, vel (b) *ītē seu ordinatione
 humana*, sic præmia & poenæ in Rep. æraria & quædam pa-*

scua, templa & religio, Mœnia & ædificia publica. Solennia festa, fora, porticus, viæ, jura & judicia, contractus & commercia, consuetudines & suffragia, quæ egregie Bodinus l. i. de Rep. pag. 16. exponit. De rebus aliis, quæ vel proprietate eximuntur, vel sub communionem cadunt, ictis ventilanda relinquitur, nè in eorum messem falcem immittamus, ἢ ὅπερ ἵχαμενα μέδας videamur. De mari clauso, de quo Seldenus vel libero, de quo Grotius, differere, fortè in οὐλητήσαι λί-
cebit, ubi procul dubio Seldeni partes defensuri sumus.

Quæst. 4.

An licet se suaq; defendere? Aff.

Hoc n. ratio doctio, necessitas Barbaris, mos gentibus, feris nativa prescripsit, ut omnem semper vim quacunque ope possint à corpore, a capite, à vita propulsent, dicit Cic pro Milone. Et lex est, ait ibidem Cicero, non scripta sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsa natura arripuimus, hauimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti simus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis, & hoc si-
ve physice & vi impetamur, sive moraliter, quâ famam macule-
mur, tunc enim vita & fama pari ambulant passu. Huc spectat nostri & nostrorum defensio, Mei & Tui, Patriæ, parentum, liberorum,
libertatis, pacis & tranquillitatis, regionis & religionis, quarum defen-
sio tantum abest ut Deo adversa sit, ut is potius eam jusserit mul-
tis in scripturæ locis. Nim: 1: Tim. 5. v. 8. & Eccles. 4. 9.
vide etiam pro quibus pugnandum apud Schönborn, lib. 6. pol.
c. 3. Addatur sociorum liberatio. Sic Populus Romanus sociis de-
fendendis, terrarum omnium potitus est, ut loquitur Cic. lib. 3. de
legibus. Heic ultimo notandum invasionem nullam esse lici-
tam nisi spes sola in armis sit relicta, livius L. 9. c. 4. primum n.
justitiae munus est, ut ne cui quis noceat, nisi laceratus injuria. I. I.
off.

off. Cicero. De facto Abrahāmi , de quo tantum disceptatur ut dicam, quod magistratui se opposuerit non pro se, sed pro socio & quidem non laceſſitus, omni culpā illud carere dicimus. His quæſtionem hanc claudimus dicendo, omnem injuriæ propulſionem vel publicam per Magistratus, vel privatam extrema neceſſitate, & juri naturæ & juri divino & deniq; civili convenire.

CLAUSULA.

Turbulentam depinxi Reimp. ubi meum & Tuūm non audiuntur, felicem jam ostendam, ubi meum & Tuūm Svavem inveniunt locum. Nimirum

Ubi Doo redditur suum.

Pietas enim est, quæ regna firmat, teste Davide. Hinc Grubb in penu prov. fructa Gudhi gior Landet trngqt. & sine ea nulla nititur basi, quicquid ogganniat Machiavellus.

Ubi regi tribuitur suum.

Scil. amor ſincerus, honor & obsequium 1. Pet.2:17. Census & tributa Matth. 22:21. opera deniq; honesta & legi Dei convenientia.

Ubi ſubditis communicatur suum.

utpote 1. iuſtitia, quæ ſol, quæ vinculum Rerump. ſine qua nil unquam laudabile, teste Lips. c 10. & xi. & Cic in parad. 2. Clemencia, quæ luna, quæ arx inacceſſa, quæ alio non egit munimento plin. paneg. 3. Sollicita Reip. Cura.

Ubi liberis redditur suum.

Nim. nutritio. necat n., qui alimenta tollit, dicit 1 Et. s. 2. Inſtituſio, cui totius vite & Reip. ſuperſtruitur machina, teste Crucio, NB. Heic preceptorum officium locum habet, qui probitate morum, erudiſione exquisita, dexteritate docendi, imo fide ſumma, junctam parentibus prætabunt operam.

Ubi parentibus & preceptoribus datur suum.

Ceu

Ceu. Reverentia, bonos, obedientia. Verbo. Antipelargia sincera maxima beneficia retaliare annitentur, scientes se ob res inestimabiles a parentibus & præceptoribus collatas in infinitum obligari, teste Libenthalio.

Ubi servis rectius famulis tribuitur suum.

Cibus videlicet, opus, Castigatio temperata, is enim est Dominus, non qui servos habet sed qui ius recte utitur, dixit quidam.

Ubi dominis reciproce redditur suum.

Amor, timor, fidelitas in omnibus, qua legi Dei non repugnant.
Act. 5:9. Ut sonet Harmonicus hic in patriâ dulcissimâ concentus, ut vigeat hoc justum Mei & Tui discrimen, ut vivat fides & tranquillitas, jubeat pacis Deus & ipsa charitas, qui angelos habet pacificos, qui mundum fecit concordantem, qui Solem & Lunam condidit concordes, qui elementa discorditer creavit convenientia, qui nos deniq; ad tranquillas post fata transferat sedes!!!

Sic vides Lector benebole recte dixisse Tullium, dum aie: *nihil tam absurde dictum, quod non aliquis philosophorum defendendu sumpserit;* habes experimentum in Platone, cuius dogma de communione quam futile, quam nullius fuerit pretii, paucis, & quantum facultatum & ingenii permiserunt vires hic ostensum dedi. Breves & leves hasce pagellas candido excipe pectore, & si erroneam munivi viam, corrige, sed humaniter, sin rectam, da unâ mecum.

SOLI DEO GLORIAM.

Tantum erat.

περὶ Τοῦ Φίλου μὲν Φίλων, καὶ συνεργάτην ἀριστοῦν

Κύρ. ΠΕΤΡΟΝ ΛΙΝΣΤΟΡΦΙΟΝ.

Πολλοῖς τῶν Θρῆνων κόσμῳ τὸν θήματα γέτε,
Πλείσια τῆς δίδακτης, καὶ χρήματα ταῦτα ἀγαπῶσι,
Τὴν ὑπερφανίαν Φανερώσι, παίαντα πέρις οὐβελού.
Σπινδεῖσπει σπερδαῖοι, καὶ φίλτατε σὺν παῖεσσι
Πάντην σωμάτιον, αὐθαίσκοις καὶ σε βιβαῖον
Ἐν σωμάτιοις σπερδην, ἀλλὰ παῖος σὺν παρθενῆσι
Γράμματα δεικνύεις, πέλι σα καὶ ἐμοὶ ἔτι λητῆς
Μικᾶς σπερδαῖος, ΛΙΝΣΤΟΡΦΙΕ συσαινάτα
Πιστὸς παιδεύης, νεανίσκος, πᾶσ' ἀγαπῆς,
Σπένδε καθὼς ἥρχος, Φανερώσοις Γὴν δίδακτην σα
Σε πίστην ἀγαθῆν, πείλυτος εἰώ αὐθαίσκεν.

CAROLUS N. HÖHNER.

Pereximie Dn. LINSTORPHI, amicorum sparissime!

Strenuus ut miles, sectatus castra, labores
Exantat semper gnaviter herculeos,
Secundum prius incepto desistit, laude triumphum
Quām referat Victor, cum redit ipse domum;
Fortiter es phebi, LINSTORPHI ita castra seqvutus,
Præmia cum dentur parta labore Tibi.
Tu namque alisti, sudasti, multa tulisti;
Hinc capias studiis digna brabéa tuis.
Nunc ideo tenui canto modulamine carmen,
Successus cupiens hosce favere Tibi!
Et quoniam iam Tu, Musarum docte satelles,
Dilecta properas reddere Te Patriæ;
Opto domum sospes venias, velisq; secundis
Te vehat usq; lares aura benigna tuos!
Excipiat Te lata manus Matriq; Patriq;,
Plaudat amicorum portio chara Tibi!
Interea Valeas, LINSTORPHI, frater amande!
Ut præsens, absens sum manesque Tuus!

MAGNUS C. HÖHNER.

Musarum gloris, Virtutum satellitio. Morumq; cultura
xime conspicue Dn. CANDIDATE.

Natura quamvis ad honores excogitari ac sterni possent viae, una
ramen tutissima certissimaque audit secliter Virtus. Hac ex-
celsum regale, invictum ac infatigabile quoddam est: Hec
in Templo, in Schola, in Curiâ, pro muriâ stat: Hec sedatores suos
gloria ac honore coronat: Hec qui gaudet, non poterit non magna-
rum rerum species ad se vocare, extollere ac tandem in insignem e-
mergere nominis claritatem. Scopus Tibi semper Claret Doctore
Lia-
storphi fuit Virtus, cuius pennâ nunc feliciter in Musarum altos evo-
lasti vertices. Quas alias favor hominū, & argenteus malleus confrin-
gere solent portas, has Tu industria, pietate, probitate Tua aperiueristi.
Habes ergo quod exhibetas, nominis immortalitate, bonorum commen-
dationem, aequalium amorem. Cum vero, per Divinam gratiam intra
Penetum limina pedem inferre contigerit, largissima studiorum, vigi-
liarum ac lucubrationum Tuarum invenies premia. Quibus ut felix
fruaris intimo precor cordis affectu, qui, sinceritati ac animi candor-
i, quem per annos haud paucos mihi exhibui, infinita studia ac
officia debo,

A. C. BOLHEMIUS,
W.S.

